

ficat, habere debet ex passione Christi; hoc igitur modo totum cederet in injuriam ipsius passionis. Quanquam autem hæc vera sint, tamen ante baptismum imponi possunt hæc opera (ut Ecclesiastica etiam consuetudo habet, sicut infra videbimus quæst. 74). Imponuntur autem præcipue propter utilitates supra dictas, quanquam D. Thom. hic ad secundum admoneat, nuper baptizatos non esse exercendos ad justitiam per opera pœnalia, sed per opera facilliora, quia sunt veluti infantes denuo geniti, qui lacte potius indigent, quam solido cibo. Quod si verum est, majori ratione locum habet in catechumenis, qui nondum sunt generati. Sed licet hoc regulariter verum sit, et præsertim de operibus difficilioribus, magisque pœnalibus, nihilominus tamen sæpe expedire potest, hujusmodi opera imponere, quia personæ status et conditio eis indiget; quanquam verum sit, non posse de his speciale præceptum imponi, sed solum poterunt consuli; vel si ex se judicentur media necessaria ad cavenda peccata in futurum, poterit hæc obligatio homini declarari, et non prius ad baptismum admitti, quam et ea faciat, quæ ad præbenda sufficientia signa veræ pœnitentiæ et tollendas proximas peccatorum occasiones necessaria judicabuntur, et similiter proponat post baptismum similia remedia adhibere ad cavenda peccata, si moraliter existimata fuerint necessaria, quod tamen, moraliter loquendo, raro vel nunquam accidit.

3. Addo denique, ante baptismum etiam posse hæc opera fieri animo et intentione satisfaciendi Deo pro pœna debita ob peccata ante baptismum commissa, et quamvis non possint hoc titulo præcipi ab Ecclesia, posse tamen sub hoc consilio proponi, in quo est differentia inter statum ante vel post baptismum. Nam antequam peccatum remittatur, quamvis speretur tota ejus pœna gratis in baptismo remittenda, nihilominus optimum est consilium, ut homo velit quantum in se est facere, ut prius Deo satisficiat, quod etiam est majoris amoris ac devotionis signum; post baptismum vero jam hoc non habet locum, quia jam est omnis pœna remissa. Dices: non constat homini baptizato, se non consecutum esse hunc effectum aut non posuisse obicem illi. Respondetur primum, hoc esse per accidens, nos autem per se loqui. Et deinde, ut possit postea satisfacere, necesse est, ut prius sit in gratia et tollat obicem, quem prius posuit, quo sublato,

statim baptismus habebit suum effectum, et ita jam non habet locum satisfactio per propria opera. Dices: etiam si homo sit consecutus integram remissionem culpæ et pœnæ, potest velle, quantum in se est, satisfacere Deo, et ita solvere quod remissum est, ac si non esset remissum. Nam hoc modo etiam post remissam culpam, potest homo habere verum actum contritionis ex proprio et speciali motivo virtutis pœnitentiæ. Respondetur, totum hoc verum esse, non tamen repugnare doctrinæ traditæ, et a D. Thoma intentæ, quæ solum est, hæc opera post baptismum non esse necessaria ad consequendam remissionem pœnæ, et hoc modo non esse faciendâ propter actualem satisfactionem pro pœna, id est, ut ratione eorum remissio pœnæ obtineatur; in prædicto autem operandi modo non tam operatur quis ad satisfaciendum actualiter, quam ad faciendum opera ex se satisfactiva, et ad explicandum affectum ad Deum, et ad honorem ejus, et ad resarciendam, quantum in se est, injuriam in illum commissam.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatores, ad baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri (3, dist. 19, art. 3, quæst., ad 1, et 4 contra, cap. 58, et Rom. 11, l. 4, col. 4 et 5).

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matth. 3, quod baptizabantur multi a Joan. in Jordane confitentes peccata sua. Sed baptismus Christi est perfectior, quam baptismus Joannis. Ergo videtur, quod multo magis illi, qui sunt baptizandi baptismo Christi, debeant sua peccata confiteri.

2. Præterea, Proverbiorum 28, dicitur: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sed ad hoc aliqui baptizantur, ut de peccatis suis misericordiam consequantur. Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri.

3. Præterea, pœnitentia requiritur ante baptismum, secundum illud Actorum 2: Agite pœnitentiam et baptizetur unusquisque vestrum. Sed confessio est pars pœnitentiæ. Ergo videtur, quod confessio peccatorum requiratur ad baptismum.

Sed contra est, quod confessio peccatorum debet esse cum fletu, dicit enim August. (in

lib. de Ver. et falsa Pœnit., cap. 14, non procul a princip., tom. 4): Omnis ista vanitas confitenda est et deslenda. Sed sicut Ambros. (super illud Rom. 11: Sine pœnitentia sunt, etc.), dicit, gratia Dei in baptismo non requiritur gemitum neque planctum. Ergo a baptizandis non est requirenda confessio peccatorum.

Respondeo dicendum, quod duplex est peccatorum confessio. Una quidem interior, quæ fit Deo, et talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest inchoare novam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, ut Augustinus dicit in libro de Pœnitentia (hom. ult. inter 50, cap. 21, a princ.). Alia vero est confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante baptismum. Primo quidem, quia talis confessio, cum respiciat personam ministri, pertinet ad pœnitentiæ sacramentum, quod non requiritur ante baptismum, quia est janua omnium sacramentorum. Secundo, quia confessio exterior, quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, quod sacerdos confitentem absolvat a peccatis, et liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda, ut supra dictum est (art. præced.). Nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiæ, quibus omnia remittuntur per baptismum. Tertio, quia ipsa particularis confessio homini facta, est pœnosa propter verecundiam confitentis. Baptizato autem nulla exterior pœna imponitur. Et ideo a baptizandis non requiritur specialis confessio peccatorum, sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant Sathanæ, et omnibus pompis ejus. Et hoc modo dicit quædam Gloss. Matth. 3 (ordin. super illud, Exhibant ut baptizarentur ab eo), quod in baptismo Joannis exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata et promittendi meliora. Si qui tamen baptizandi eæ devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

Ad 1 ergo dicendum, quod in baptismo Joannis non remittebantur peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ. Et ideo convenienter accedentes ad illud baptismum, confitebantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis penitentia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori pœnitentia, ut Am-

brosius dicit (loco citato in argum. Sed contra). Unde non est similis ratio.

Ad 2, dicendum, quod baptizatis sufficit confessio interior Deo facta, et etiam exterior generalis, ad hoc quod dirigantur et misericordiam consequantur. Nec requiritur confessio specialis exterior, sicut dictum est (in corp. art.).

Ad 3, dicendum, quod confessio est pars pœnitentiæ sacramentalis, quæ non requiritur ante baptismum, ut dictum est (in corp. art.), sed requiritur interioris pœnitentiæ virtus.

COMMENTARIUS.

1. Distinguit D. Thomas de confessione interna, quæ fit Deo, et externa, quæ fit homini, et priorem affirmat esse necessariam ante baptismum, de posteriori vero id negat. Sed circa priorem partem advertendum est, illam internam confessionem nihil aliud esse, quam recogitationem peccatorum, ut D. Thomas etiam declarat; hæc autem recogitatio non aliter necessaria est, nisi quatenus ad contritionem vel attritionem habendam requiritur, vel ad eos effectus, quos necesse est cum vera pœnitentia conjungi; quales sunt, restituere alienum, auferre proximas occasiones peccandi, et similes, de qua re dicturi sumus latius in materia de pœnitentia. Circa posteriorem autem partem aliter loquendum est de confessione externa peccatorum in genere, aliter vero de confessione sacramentali; hæc enim posterior non solum non requiritur ante baptismum, verum nec præmitti potest; imo nec post baptismum receptum fieri potest de illis peccatis, quæ ante baptismum commissa sunt, quæ non sunt materia sacramentalis confessionis; at vero alia confessio, quæ extra sacramentum fieri potest, quæ potius est veluti consultatio quædam, fieri potest ad majorem animæ profectum, et de hac potissimum loquitur D. Thomas in articulo.

2. Sed quæri potest, an hæc confessio necessaria sit ante baptismum. Videtur enim fuisse olim in usu in Ecclesia. Dicit enim Tertull., lib. de Baptis., cap. 40: Ingressurus baptismum orationibus, jejuniis, etc., et cum confessione omnium retro delictorum. Ex quo verbo Pamel., num. 136, confessionem colligit sacramentalem. Nazianz., orat. 40, post medium, dicit: Ad baptizandum, nec peccatum tuum confiteri grave ducas, sciens quo pacto Joannes baptizaret. Matth. etiam 3, accedentes ad baptismum Joannis prius confitebantur pec-

cata sua; quod de confessione peccatorum in specie videtur intelligere Chrysost., homil. 3 Imperf., et clare Basil., 4 opere de Baptism., part. 2, aliquantulum a princ.; et significat D. Thom., supra, quæst. 38, art. 3, et hac quæst. Unde in lib. 9 Tripar., cap. 29, ita refert Socrates: *In Alexandrina civitate plurimi ad baptismum confestim abierunt, et peccata confitentibus baptizabantur.* Et ratio esse potest, quia confessio videtur necessaria ad medicinam adhibendam præteritis peccatis, et ut Ecclesiæ constet de bona dispositione baptizandi.

3. Dico tamen talem confessionem non esse necessariam, ex communi sententia Theologorum. Et ratio est, quia illa confessio nec est, nec esse potest sacramentalis, quia ante baptismum nullus est capax sacramenti pœnitentiæ; imo peccata, ante baptismum commissa, non sunt sufficiens materia sacramenti pœnitentiæ, etiam post baptismum susceptum, ut suo loco dicam, quia fuerunt commissa extra forum Ecclesiæ; confessio autem non sacramentalis non est homini necessaria, nec præcepta, nec per se est dispositio ad gratiam. Quod si alicubi olim fuit illa consuetudo, fortasse fuit per modum consilii et cujusdam actus humilitatis, et forte non erat exacta confessio, sed quædam communicatio conscientie ad instructionem et directionem. Atque ita satisfactum est adductis testimoniis. Ad rationem vero dicitur, aliis modis posse Ecclesiam habere sufficientia signa dispositionis baptizandi; medicinam vero curativam non esse necessariam, quia ipse baptismus est sufficiens; perseverantiam vero voluntarie suscipi posse a baptismum suscipiente, et ob eam rem posse sua sponte consulere quem voluerit.

4. In solutione ad primum tractat D. Thomas locum Matthæi 3, in quo dicit, quod baptizabantur multi a Joanne confitentibus peccata sua, atque illum explicat de posteriori confessione dicta; et quamvis in corpore articuli indicasse videatur illam confessionem factam esse in generali, tamen in hac solutione declarat fuisse in particulari, nam inquit: *Confitebantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur, quod fieri non poterat sine particulari et specifica revelatione peccatorum;* sed hunc locum tractavi præcedenti tomo in Commentario artic. 3.

ARTICULUS VII.

Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi (inf. quæst. 69, art. 9, et 4, dist. 6, quæst. 1, art. 2, quæst. 3, et d. 27, quæst. 1, art. 2, quæst. 4, cor.).

1. *Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet, sicut patiens in sacramento. Intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. Ergo videtur, quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi baptismum.*

2. *Præterea, si præmittatur id, quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus; sicut cum præmittitur invocatio Trinitatis, ut supra dictum est (q. 66, art. 6). Sed ex hoc non videtur aliquis esse denuo baptizandus, quod intentionem non habebat suscipiendi baptismum; alioquin cum de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari, propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat sacramentum.*

3. *Præterea, baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus (ut videtur) intentionem non requirit ex parte baptizati.*

Sed contra est, quod secundum ritum Ecclesiæ, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia baptismum, per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

Respondeo dicendum, quod per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, et incipit quamdam vitæ novitatem, secundum illud Rom. 6: Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur secundum August. (hom. ult. inter 50, cap. 2, a principio), in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum.

Ad 1 ergo dicendum, quod in justificatione, quæ fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur.

Ad 2, dicendum, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si autem hoc non constaret, esset dicendum, Si non es baptizatus, ego te baptizo.

Ad 3, dicendum, quod baptismus ordinatur non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia, quæ per voluntatem et intentionem causantur.

ARTICULUS VIII.

Utrum fides requiratur ex parte baptizati (t, d. 6, q. 1, art. 3, quæst. 1, et quæst. 2, art. 1, quæst. 3, corp., et d. 9, art. 2, quæst. 2, ad 2).

1. *Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi a Christo est institutum. Sed Christus, formam baptismi tradens, fidem baptismi præmittit dicens Mar. ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Ergo videtur, quod nisi sit fides, non possit esse sacramentum baptismi.*

2. *Præterea, nihil frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur. Sed, secundum ritum Ecclesiæ, ille qui accedit ad baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur: Credis in Deum Patrem, etc. Ergo videtur, quod fides ad baptismum requiratur.*

3. *Præterea, ad baptismum requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cum baptismus sit rectæ fidei sacramentum. Per eum enim incorporantur homines Christo, ut Aug. dicit in libro de baptismo parvulorum (lib. 4 de Pecc. mer. et rem., c. 26, a med., tom. 7); hoc autem non potest esse sine recta fide, secundum illud Eph. 3: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Ergo videtur, quod illi, qui non habent rectam fidem, non possint suscipere sacramentum baptismi.*

4. *Præterea, infidelitas est gravissimum peccatum, ut in secunda parte habitum est (2. 2, quæst. 10, art. 3). Sed permanentes in peccato non sunt baptizandi. Ergo etiam nec permanentes in infidelitate.*

Sed contra est, quod Greg. (in Reg., lib. 2, epist. 5, non longe a princ., et habetur de Consecr., dist. 4, cap. 43) scribens Quirino Ep., dicit: Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud heresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Hoc autem non esset, si recta fides esset de neces-

sitate baptismi. Non ergo recta fides ex necessitate requiritur ad susceptionem baptismi.

Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet (quæst. 62, art. 9, et quæst. 66, art. 9), duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character et gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum. Uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum, quia, sicut dicitur Rom. 13, justitia Dei est per fidem Jesu Christi. Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismatis imprimi non potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum quod perducit homines ad salutem per gratiam justificantem; quod quidem sine recta fide esse non potest; et ideo signanter dicit: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

Ad 2, dicendum, quod Ecclesia intendit homines baptizare, ut emundentur a peccato, secundum illud Isa. 27: Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Et ideo, quantum est de se, non intendit dare baptismum, nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat accedentes ad baptismum, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illum ad suam salutem. Unde August. dicit (lib. 4 de Bapt. contra Donat., in princ., tom. 7): Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismum ejus homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere vel tenere.

Ad 3, dicendum, quod etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi; et ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit.

Ad 4, dicendum, quod sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei, qui non vult